

idem curarunt summi pontifices, emendando Breviario Romano, quod aliorum exemplum esse debeat. Sed quia multa in dies a viris doctis illustrantur, eam in se curam etiam susceperunt episcopi maxime Gallicani, quorum hac in re sedulitas et religio **437** alios ad idem opus merito incitat. Et quidem in ecclesiasticis officiis (non novella audiri decet vel levitia, ut scribit Bernardus in epistola 312 ad Arremarenses, « sed certe authentica et antiqua, quæ et Ecclesiam ædificent, et ecclesiasticam redoleant gravitatem. Quod si nova audire libet, et causa requirit, ea, ut dixi, recipienda censuerim, quæ cordibus audientium, quo gratiora, eo utiliora reddat et eloquii dignitas et auctoris. Porro sensa indubitata resplendeant veritate, sonent justitiam, humilitatem suadeant, doceant æquitatem : quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam. » Tot verba, tot oracula, sanctissimo Ecclesiæ Patre ac doctore digna.

76. Cæterum, ut ad scopum redeam, parum interest quo jure primum inducta sit hæc Breviarii recitandi obligatio, lege an consuetudine, cum legitimo fundamento innitatur, scilicet præcepto generali quo Christiani omnes ad jugem precationem tenentur, et speciali Dei ministrorum conditione qui totos sese divino cultui manciparunt. Is enim divinum et apostolicum de indesinenti oratione præceptum implere censetur, « qui canonicis horis quotidie, juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis precibusque consuetis Deum laudare et rogare non desistit, » ut ait Beda in Lucæ cap. 18. Sunt quidem et alia non minoris momenti sacrorum ministrorum officia et onera; neque ad hoc unum eis assignati sunt tam copiosi Ecclesiæ proventus, quasi recitato semel Breviario, muneri sui summam statim expleverint. Quædam quippe alia ab ecclesiasticis viris exiguntur, lectio et studium sanctarum Scripturarum et sacræ traditionis, divini **438** verbi prædicatio, charita-

tis officia, aliaque id genus exercitia virtutis. Hæc oportet facere, sed pias etiam precationes non omittere.

77. Neque desunt diligenti ac cordato viro temporis intervalla et ferie ad utrumque præstandum, ubi semel ejus animum pietas, et divinarum rerum, seclusis inutilibus curis, sollicitudo imbuerit, cum legamus sæculares viros (nec nostra ætate etiam exempla desunt), imo etiam reges, qui strenue rem publicam per se ipsi administrabant, inter tot negotiorum turbas eisdem precationibus non defuisse. Hujus rei testes duos appello, Alfredum scilicet Anglorum regem, et sanctum Ludovicum. Alfredus quippe, referente Vitæ ejus scriptore accurato Assero, « inter bella et præsentis vitæ frequentia impedimenta, necnon paganorum infestationes et quotidianas corporis infirmitates, inter regni gubernacula, nihilominus missam quotidie audire, psalmos quosdam et orationes, et horas diurnas et nocturnas celebrare, et ecclesias nocturno tempore, orationis causa, clam a suis adire solebat. » Sic vero totum cujuslibet diei cursum expendebat, « ut octo horas in scribendo, legendo et orando; octo in cura corporis; octo in expediendo regni negotio transigeret, » quod de eo scribit Willelmus monachus Malmesburiensis. Utinam similis sedulitas animos nostros occuparet. De sancto Ludovico id memoriæ prodidit auctor ejus æqualis in sermone inedito, quem nunquam satis laudatus Antonius Herovallius nobis communicavit: « Omnes horas canonicas, et de gloriosa Virgine semper cum nota audiebat; submisse tamen easdem inter se et capellanum suum et pro defunctis novem lectiones quotidie dicebat. Media **439** nocte surgebat ad confitendum Domino; et regina bonæ memoriæ aliquando eum propter frigus de vestimento aliquo operiebat. » Sic nulli unquam, etiam occupatissimo, deerit tempus et otium ad Deo vacandum, si pietatis studium non defuerit.

## 440 APPENDIX

### *Continens probationes quasdam Liturgiæ Gallicanæ et cursus Gallicani.*

#### I. DOMINICA PRIMA ADVENTUS, AD MISSAM OFFICIUM.

*Ex Missali Mozarabum<sup>a</sup>.*

Ecce super montes pedes evangelizantis pacem, alleluia, et annuntiantis bona, alleluia : celebra Juda festivitates tuas alleluia, et redde Domino vota tua alleluia. *ÿ*. Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtute multa. *Ps.* Et redde. *ÿ*. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in sæcula sæculorum amen. Et redde.

<sup>a</sup> Vide pag. 25 et seqq.

*D* *Dicat presbyter* : Per omnia semper sæcula sæculorum. *ñ*. Amen.

*In adventu Domini non dicimus, Gloria in excelsis, Dominicis diebus et feriis, sed tantum diebus festivis.*

Oratio

Deus qui per angelicos choros adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi annuntiare voluisti, qui per angelorum præconia, Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, adclaman-

tibus demonstrasti, concede ut in hujus dominicæ resurrectionis festivitate, pax terris reddita convalescat, et fraternæ dilectionis caritate innovata permaneat. *ñ*. Amen.

*Dicat sacerdos.*

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. *ñ*. Amen. *ÿ*. Dominus sit semper vobiscum. *ñ*. Et cum spiritu tuo.

Lectio libri Esaiæ prophetæ. *Capitulo x.*

*ñ*. Deo gratias.

Ecces dominator Dominus exercituum coufringet lagunculam **441** in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ejus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. [*Cap. xi.*] Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebant et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis. In die illa Radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. *ñ*. Amen.

*Dicat presbyter in cornu sinistrum altaris:* Dominus sit semper vobiscum. *ñ*. Et cum. *Psallendo.* Qui dat nivem sicut lanam, nebulam velut cinerem spargit; qui emittit chrySTALLUM suam sicut frusta panis. Ante faciem frigoris ejus quis subsistet? *ÿ*. Mittit verbum suum et liquefaciet ea, fiat spiritus ejus et fluent aquæ. *P.* Ante.

*Dicat sacerdos:* Silentium facite.

Sequentia Epistolæ Pauli apostoli ad Romanos. *Cap. xv.*

*Respondent chorus:* Deo gratias.

Fratres. Certus sum ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alter alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto.

**A** Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus, in obedientiam gentium, in verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti; ita ut ab **442** Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi hoc Evangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, et qui non audierunt intelligent. Propter quod et impediabar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis; cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis ex parte primum fructus fuero. Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et sunt debitores eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, proficiscar per vos in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christo veniam. *ñ*. Amen.

*Dicat sacerdos:* Dominus sit semper vobiscum. *ñ*. Et cum.

**C** Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap. iii.*  
*ñ*. *Chorus:* Gloria tibi, Domine.

Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ et Traconitidis regionis, et Lisania Abilinæ tetrarcha; sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha; factum est verbum Domini super Johannem Zachariæ filium in deserto; et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Esayæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur; et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas; et videbit omnis caro salutare Dei. Dicebat ergo ad turbas qui exierant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos penitentiae. Et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor **443** non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas det non habenti, et qui habet escas similiter faciat. Venierunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad

illum : Magister, quid faciemus ? At ille dixit ad eos : Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciat. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos ? Et ait illis : Neminem contentis, neque calumpniam faciat, et contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, ne forte ipse esset Christus ; respondit Johannes dicens omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me post me, ejus non sum dignus solvere corrigiam calciamentorum ejus. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem et alia exhortans, evangelizabat populo. *ñ. Amen.*

*Dicas presbyter : Dominus sit semper vobiscum. ñ. Et cum.*

*Dicat chorus : Lauda. Alleluia. ý. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto, et de Sion tu erus nos, alleluia. Interim quando chorus dicit Alleluia, offert sacerdos hostiam cum calice, et cum orationibus que sequuntur.*

Acceptabilis sit Majestati tuæ, omnipotens æterne Deus, hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris, et pro stabilitate sanctæ catholicæ et apostolicæ..... fidel cultoribus. Per Christum Dominum nostrum. In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen. *Dimittendo patenam super corporales. Deinde accipiat calicem sanctificando sic. In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti, amen.*

*Oratio.*

Offerimus tibi, Domine, calicem ad benedicendum sanguinem Christi filii tui, deprecamurque clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ Majestatis tuæ, cum odore suavitatis ascendat, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. *Ponat calicem super aram, et accipiat filiolam sine sanctificatione, et ponat super calicem dicendo sic :*

*Oratio.*

**444** Hanc oblationem, quæsumus, Domine, placatus admitte, et omnium offerentium eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge, per Christum Dominum nostrum, amen.

*Et dicat junctis manibus inclinando se :*

*Oratio.*

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te, et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiamur hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Veni, sancte Spiritus sanctificator, sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi præparatum. *Hic ponat incensum in thuribulo, et incenset sacrificium si placuerit. Postea inclinat se sacerdos in medium altaris junctis manibus, et dicit alta voce : Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, et orate pro me ad Deum. Chorus respondeat : Adjuvet te Pater et Filius et Spiritus sanctus. Et sacerdos vertat se ad populum et faciat offertorium si voluerit, et dicat chorus sacrificium. Regnabit Dominus in Jerusalem,*

*et in conspectu seniorum alleluia. ý. Hæc dicit Dominus, erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et qui inhabitant in Sion, et dabo clavum domus David super humeros ejus, et aperies ; et non est qui claudat Jerusalem, alleluia.*

*Hic accipiat sacerdos aquam in manibus, et dicat silentio super oblationem cum tribus digitis ; In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti regnas Deus in sæcula sæculorum, amen.*

*Inclinat se ante altare, et dicat in silentio istam orationem :*

Accedam ad te in humilitate spiritus mei, loquar ad te, quia multam spem, et fortitudinem dedisti mihi. Tu ergo, fili David, qui revelatus mysterio, ad nos in carnem venisti, clave crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphin, qui candenti carbone illo, qui de altari tuo sublatus est, sordentia labia mea emundet, mentem enubilet, cocendi materiam subministret, ut lingua quæ proximorum utilitati per caritatem servit, ne erroris insonet casum, sed veritatis resultat sine fine præconium, per te Deus meus qui vivis et regnas in sæcula sæculorum, amen.

**INCIPIT MISSA.**

*Dicas presbyter : Dominus sit semper vobiscum. ñ. Et cum spiritu.*

*Oratio.*

**445** Adventum Domini nostri Jesu Christi, fratres dilectissimi, votis omnibus præstolantes, Dei Patris omnipotentiam imploremus, ut corda nostra purifcet, et corpora immaculata conservet. Det habilitatem fidelium mentibus fideliter quærere, quod saluti posset prodeesse. Exspectemus conscientia secunda venturum, quem super omnem principatum et potestatem credimus exaltatum. Simus etiam per singula momenta solliciti, ut mereamur habere principium, quem credimus et fatemur ad judicandos nos vivos et mortuos in gloria esse venturum. *ñ. Amen. Dicit presbyter : Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. ñ. Amen. Dicit presbyter elevando manus, Oremus. ñ. Chorus, Agios, Agios, Agios, Domine Deus, rex æterne, tibi laudes et gratias.*

*Postea dicat presbyter :*

**446** Ecclesiam sanctam catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide, et spe, et caritate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius redimere, sanare et confortare dignetur. *ñ. Chorus : Præsta, æterne, omnipotens Deus.*

*Dicit presbyter aliam orationem :*

Purifica, Domine Deus, Pater omnipotens, peccatorum arcana nostrorum, cunctasque propitius maculas ablue peccatorum. ac præsta, Domine, ut beneficio pietatis tuæ, nostris criminibus emundati, metuendum terribilemque adventum Domini nostri Jesu Christi filii tui exspectamus interriti : sicque te mi-

serante, hic percipere mereamur omnium veniam delictorum, ut tuum in futuro iudicium nobis sentiamus omnino mitissimum, et dexteræ tuæ participes facti, a te mereamur perpetuæ vitæ percipere præmium, tuumque consequemur invictum, infinitum et fortissimum regnum. *ñ. Amen.*

*Dicat presbyter :* Per misericordiam tuam, Deus noster, in cujus conspectu, sanctorum apostolorum et martyrum, confessorum atque virginum nomina recitantur. *ñ. Chorus. Amen. Dicat presbyter :* Offerunt Deo Domino oblationem sacerdotes nostri, papa Romanensis, et reliqui pro se et pro omni clero ac plebibus Ecclesiæ sibi et consignatis, vel pro universa fraternitate. Item offerunt universi presbyteri, diaconi, clerici, ac populi circumstantes **446** in honorem sanctorum pro se et suis. *ñ. Chorus :* Offerunt pro se et pro universa fraternitate. *Dicat sacerdos :* Facientes commemorationem beatissimorum apostolorum et martyrum, gloriosæ sanctæ Mariæ virginis, Zachariæ, Johannis, Infantum, Petri, Pauli, Johannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Simonis et Judæ, Matthiæ, Marci et Lucæ. *ñ. Chorus :* Et omnium martyrum. *Dicat sacerdos :* Item pro spiritibus pausantium Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Ysidori, David, Juliani, item Juliani, Petri, item Petri, Johannis, Servi Dei, Visitani, Viventi, Felici, Cypriani, Vincentii, Gerontii, Zachariæ, Cenapoli, Dominici, Justi, Saturnini, Salvati, item Salvati, Bernardi, Reimundi, Johannis, Celebruni, Gundisalvi, Martini, Roderici, Johannis, Guterii, Sancieri, item Sancieri, Dominici, Juliani, Philippi, Stephani, Johannis, item Johannis, Felicis. *ñ. Chorus :* Et omnium pausantium.

*Dicat presbyter post nomina :*

Te quæsumus, Domine Jesu Christe, ut dilectio adversus tui ita in nobis permaneat, ne ad te corda nostra unquam recedant; sicque nos jam in æternam advocacionem ascribe, ut ad futurum non confundamur, cum ad judicandum veneris orbem. *ñ. Chorus. Amen. Dicat presbyter :* Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in æterna sæcula sæculorum. *ñ. Chorus. Amen.*

Oratio ad pacem.

*Dicat presbyter :*

Domine Deus omnipotens, qui pro humani generis redemptione cœternum tibi cœqualemque Filium angelica annuntiatione, per Mariæ virginis uterum usque ad nos voluisti transmittere, atque ante ipsius Filii tui adventum Johannem dignatus es destinare præconem, ut per ejus veridicam in deserto eremi prædicationem populus pœnitens veterorum facinorum acciperet veniam, per novi autem hominis Dei regnum evangelizantis divinæ Trinitatis plenam mundus consequi mereretur ineffabilem gratiam; nota nobis in hoc tempore Adventus Unigeniti tui eandem pacis gratiam quam in præterita largire dignatus es sæcula; et illis nos in occurso fidei

A sociis numerandos, quos in fidei primordio, a Johanne in Jordane pœnitentiæ undis aquarum ablutos, a te postremo per Filium in Spiritu sancto et igni cognoscimus baptizatos. *Respondeat chorus :* Amen. *Dicat presbyter :* Quia tu es vera **447** pax nostra et charitas indisrupta, vivis tecum et regnas cum Spiritu sancto unus Deus in sæcula sæculorum. *ñ. Chorus :* Amen. *Dicat presbyter elevatis manibus in cælum :* Gratia Dei Patris omnipotentis, pax ac dilectio Domini nostri Jesu Christi, et communicatio Spiritus sancti sit semper cum omnibus nobis. *ñ. Chorus :* Et cum omnibus bonæ voluntatis. *Dicat presbyter :* Quomodo astatis, pacem facite. *ñ. Chorus. Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis; non sicut mundus dat, pacem do vobis. ¶. Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem. Reiteretur :* Pacem meam do vobis. ¶. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in sæcula sæculorum amen. *Reiteretur :* Pacem meam.

*Interim quando Chorus dicit :* Pacem meam, accipiat sacerdos pacem de patena dicendo sic : Habete osculum dilectionis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei.... *Et statim det pacem diacono vel puero, et puer populo. Postea inclinet se sacerdos junctis manibus et dicat :* Introibo ad altare Dei. *ñ. Chorus :* Ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Presbyter ponat manum super calicem et dicat :* Aures ad Dominum. *ñ. Chorus :* Habemus ad Dominum. *Dicat presbyter :* Sursum corda. *ñ. Chorus :* Levemus ad Dominum. *Dicat presbyter inclinando se junctis manibus :* Deo ac Domino nostro Jesu Christo Filio Dei qui est in cœlis, dignas laudes dignasque gratias referamus. *Et dicendo :* Gratias referamus, elevet sacerdos manus in altum. *ñ. Chorus :* Dignum et justum est. *Postea dicat presbyter :*

Inlatio.

Dignum et justum est nos tibi gratias agere, Domine sancte, Pater æterne, omnipotens Deus, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, quem Johannes fidelis amicus præcessit nascendo; præcessit in desertis eremi prædicando, præcessit baptizando; viam quoque præparans judicii ac redemptoris, convocavit peccatores ad pœnitentiam; et populum Salvatori acquirens, baptizavit in Jordane peccata propria confitentes; non homines innovando plenam conferens gratiam, sed piissimi Salvatoris ammonens expectare presentiam; non remittens ipse peccata ad se venientibus, sed remissionem peccatorum ad futurum pollicens esse credentibus; ut descendentibus in aqua pœnitentiæ, ab illo sperarent remedium indulgentiæ, quem venturum audiebant plenam dono veritatis et gratiæ. Baptizatur igitur ab eo Christus ex elemento visibili et spiritu invisibili; ducebantur per obedientiam ad misericordiam; per filium sterilis ad filium Virginis; per **448** Johannem hominem magnum, ad Christum hominem Deum. Quem cum Patre et Spiritu sancto adorant angeli atque archangeli, throni, dominationes et potestates, ita dicentes :

ñ. *Chorus* :

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli et terra gloria majestatis tuæ; osanna filio David, osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis.

*Dicat presbyter post Sanctus :*

Vere sanctus et gloriosus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, quem olim credimus incarnatum fuisse pro salute humani generis; et nunc expectamus ad judicium venturum in gloria claritatis cum omnibus sanctis, ipse Dominus ac redemptor æternus.

*Deinde dicat presbyter in silentio junctis manibus inclinando se ante altare hanc orationem .*

Adesto, adesto, Jesu bone pontifex, in medio nostri, sicut fuisti in medio discipulorum tuorum; sancti + fca hanc oblationem, + ut sanctificata + sumamus per manus sancti angeli tui, sancte Domine ac redemptor æterne. Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias agens bene + dixit ac fregit : deditque discipulis suis dicens, accipite et manducate : Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur (a). *Hic elevetur corpus.* Quotiescumque manducaveritis, hoc facite in meam + commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic + est calix novi Testamenti in meo sanguine qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Hic elevetur calix coopertus cum filiola.* Quotiescumque biberitis, hoc facite in meam + commemorationem. *Et cum perventum fuerit ubi dicit : In meam commemorationem, Dicat presbyter alta voce omnibus diebus præter festivis. Pari modo ubi dicit : In claritatem de cælis. Et qualibet vice respondeat Chorus : Amen.*

Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabit donec veniet. In claritatem + de cælis. ñ. *Chorus* : Amen.

*Dicat presbyter post Pridie :*

Oratio.

Domine Jesu Christo, hanc hostiam vivam illustratione adventus tui sanctifica; ut ex ea libantes, mundemur a crimine, et tuam gratiam mereamur percipere sine fine. ñ. Amen.

*Postea dicat presbyter :*

449 Te præstante, sancte Domine, qui tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, sancti + fcas, vivificas +, bene + dicis + ac præstas nobis, ut sit benedicta a te Deo nostro in sæcula sæculorum. ñ. *Chorus* : Amen.

*Et tunc presbyter accipiat corpus Domini de patena, et ponat super calicem discoopertum, et dicat alta voce omnibus diebus, videlicet festivis et Dominicis, præter in locis, in quibus erit antiphona propria ad confectionem panis :*

A

	Corporatio	
Mors	Nativitas	Resurrectio
	Circumcisio	Gloria
	Apparitio	Regnum
	Passio	

C 450 Dominus sit semper vobiscum. ñ. Et cum. *Dicat presbyter :*

Fidem quam corde credimus ore autem dicamus. *Et elevet sacerdos corpus Christi ut videatur a populo. Et dicat chorus Symbolum bini ac bini, videlicet :*

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ; visibilibus omnium et invisibilibus conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, omisioni Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ; per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, et quæ in terra : qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis; et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit; ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis, et in Spiritum sanctum Dominum, vivificantem, et ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum; qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

- (a) Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur, sed hodie servetur Ecclesiæ traditio, etc.

*Et deinde faciat presbyter sic : Frangat Eucharistiam per medium, et ponat mediam partem in patena, et de alia parte faciat quinque particulas, et ponat in patena; et accipiat aliam partem, et faciat quatuor particulas, et ponat in patena similiter per ordinem factas per loculos istos qui supra sunt. Et statim purget bene digitos; et cooperto calice faciat Memento pro vivis.*

*Postea dicat presbyter ad orationem Dominicam æqualiter istam orationem.*

Oremus.

Verbum Patris quod com<sup>a</sup> factum es, ut habitares in nobis; præsta nobis, ut qui te venisse jam credimus, ab omni peccatorum eruamur contagione, cum præceptionis tuæ oraculis proclamaverimus eum et terris. Pater noster, qui es in cælis. *ñ*. Amen. Sanctificetur nomen tuum. *ñ*. Amen. Adveniat regnum tuum. *B* *ñ*. Amen. Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra. *ñ*. Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *ñ*. Quia Deus es. **451** Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *ñ*. Amen. Et ne nos inducas in tentationem. *ñ*. Sed libera nos a malo. *Dicat presbyter* : Liberati a malo, confirmati semper in bono, tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone, Domine, finem. *Hic percutiat pectus*, peccatis nostris : da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiem defunctis : concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris. Frange audaciam inimicorum nostrorum, et exaudi Deus orationes servorum tuorum omnium fidelium Christianorum, in hac die, et in omni tempore. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. *ñ*. Amen.

*Sic faciat presbyter* : Accipiat modo particulam quæ dicitur Regnum, de patena, et ponat super calicem. In tempore resurrectionis videlicet, dicat tribus vicibus, Vicit Leo de tribu Juda radix David, alleluia. *Respondet chorus qualibet vice* : Qui sedes super cherubin, Radix David, alleluia. *Et postea dicat istam orationem inter se submissa voce* :

Sancta sanctis, et conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi; sit sumentibus et potantibus nobis ad veniam, et defunctis fidelibus præstetur ad requiem. *Et mittat particulam in calicem, et cooperiat calicem, et dicat alta voce sic, si non fuerit ibi diaconus* : *D* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. *ñ*. Et cum spiritu. *Benedictio*. Illustret vos unigenitus Filius Dei lumine adventus sui, qui vos redimere non dedignatus est pretio sanguinis proprii. *ñ*. Amen. Accingat vos virtutibus pacis, et ditet muneribus copiosis. *ñ*. Amen. Ipsumque Dominum semper habeatis protectorem, quem omnipotens Pater suscitavit de tribu Juda victorem. *ñ*. Amen. *Dicat presbyter* : Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in sæcula sæculorum. *ñ*. Amen. Dominus sit semper vobiscum. *ñ*. Et cum. *Dicat chorus* : Gustate et videte quoniam

A suavis est Dominus. Alleluia, alleluia, alleluia. *ÿ*. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. *ÿ*. Redimet Dominus animas servorum suorum, et non derelinquet omnes qui sperant in eum. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. *ÿ*. Gloria et honor Patri, et Filio et Spiritui **452** sancto, in sæcula sæculorum. Amen. *P.* Alleluia, alleluia, alleluia. *In dicendo Gustate et videte, accipiat presbyter aliam particulam sequentem quæ dicitur Gloria, et ponat super calicem. et dicat cum silentio istam orationem* : Panem cælestem de mensa Domini accipiam, et nomen Domini invocabo. *Et dicat sacerdos*, Memento pro mortuis, *tenendo illam particulam super calicem, et dicto Memento, dicat istas orationes quæ sequuntur.*

*B* Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere, et tuo sancto Spiritu replei, Deus noster, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum, amen.

Oratio.

Ave in ævum, sanctissima caro Christi, in perpetuum summa dulcedo : panem cælestem accipiam, et nomen Domini invocabo. *Hic faciat signum cum Hostia, et sumat particulam quam in manu habet, et cooperiat calicem, et veniat ad patenam, et consumat omnes particulas per ordinem. Et deinde accipiat patenam, et ponat super calicem, et purget bene cum digito pollicem et dicat hanc orationem* :

*C* Ave in ævum, cælestis potus, qui mihi ante omnia et supra omnia dulcis es.

Alia oratio.

Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam in vitam æternam, amen. *Hic accipiat sanguinem; et dum sacerdos sumserit sanguinem, dicat immedie hanc orationem* :

Domine Deus meus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, fac me te semper quærere et diligere, et a te per hanc sanctam communionem quam sumsi numquam recedere, quia tu es Deus, et præter te non est alius in sæcula sæculorum, amen.

*Cantet chorus communionem* : Refecti Christi corpore et sanguine, te laudamus, Domine, alleluia, alleluia, alleluia.

*Eat sacerdos ad cornu altaris, et dicat hanc orationem* :

Refecti Christi corpore et sanguine pariterque sanctificati, Deo Patri omnipotenti gratias referamus, ut nos eandem resurrectionem et sanctificationem habentes hic, et in futuro sæculo gloriam percipiamus. *ñ*. Amen. *Dicat presbyter* : Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. *ñ*. Amen. Dominus sit semper vobiscum. **453** *ñ*. Et cum. *Dicat presbyter vel diaconus* : Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi; votum nostrum sit acceptum cum pace. *ñ*. Deo gratias. *Ista oratio supra dieta fuit in medium altaris.*

\* Hic mendum typographicum patet : evidenter legendum *CARO factum es. EBR.*

In tota missa et in aliis non vertitur sacerdos ad populum, nisi quando dixerit: Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris.

II. IN NATIVITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI  
AD MISSAM OFFICIUM.

Ex eodem Missali Mozarabum.

Alleluia, Benedictus qui venit, alleluia, in nomine Domini, alleluia, alleluia.

†. Deus Dominus et illuxit nobis. P. (a) In nomine Domini. †. Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto in sæcula sæculorum, amen. P. In nomine Domini.

Dicat presbyter: Per omnia sæcula sæculorum. ♫. Amen.

Dicat presbyter: Gloria in excelsis Deo.

Postea dicta, Gloria in excelsis, dicat hanc orationem:

Hodie nobis thesaurus natus est. Hodie nobis lucerna Virginis, quam Spiritus sanctus ignovit verum lumen apparuit. Hodie cæcorum medicus natus est. Hodie paralyticorum sanitas. Hodie debiliū instrumentum, infirmantium virtus. Hodie resurrectio mortuorum Salvator noster advenit. Hodie nobis inter noctem ignitam lux nova apparuit. Hodie nobis Salvator advenit, quem prophetæ prædixerant ex Maria virgine nasciturum. Hodie nobis præsepio positus perpetuus Panis lucis ostenditur qui dixit: Ego sum panis verus qui de cælo descendi. Si quis autem de pane isto manducaverit non esuriet in æternum. Præsta nobis, Domine, per gloriam nativitatis tuæ a malis propriis liberari, et in tuis laudibus semper gloriari. ♫. Amen.

Prophetia. Lectio libri Esaiæ prophetæ. Cap. ix.

♫. Deo gratias.

Primo tempore allevata est terra Zabulon et terra Neptalim, etc., usque ad zelus Domini exercituum faciet hoc. ♫. Amen.

Dicat presbyter: Dominus sit semper vobiscum. ♫. Et cum spiri.

454 Dicat chorus psallens:

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. †. Pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. P. Ego. Dicat presbyter: Silentium facite.

Principium epistolæ Pauli apostoli ad Hebræos, Cap. i.

♫. Deo gratias.

Fratres multifarie multisque modis, etc., usque ad et anni tui non deficient. Respondeat chorus: Amen. Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. ii. Factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies ut pareretur: et peperit filium, etc., usque ad sicut dictum est ad illos. ♫. Amen. Lauda.

Alleluia. †. Redemtionem misit Dominus populo suo, mandavit in æternum testamentum suum: sanctum et terribile nomen ejus. P. Alleluia. Dicat presbyter: Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris.

(a) Præcentor.

A Sacrificium. Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis: et factus est principatus ejus super humeros ejus, alleluia, alleluia.

MISSA.

Ece nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Lux a terra prodit; exeamus a tenebris. Advocatus e cælo descendit, quod oportet agamus. Redemptor mundi apparuit, pro libertate clamemus. Venit ad ægrotos medicus, vulnera proferamus. Panis vivus credentibus datus est, tunc sumamus. Fens perennis fidelibus ortus est, animas impleat nos, ejus misericordia virtute et gratia in illo fidei processu, justitiæ cultu, confessionis gradu, castitatis affectu stare nos faciat, in quo animas floruisse sibi, non aruisse convincat. Atque in illo statu illum via nostra delectetur, nobisque fructificet, in quo se generat, non criminis nostri, permanens Deus, in nobis nasciturus inseruit, et pro nobis meritorus apparuit. ♫. Amen. Concedente gratia miserationis illius, cujus regnum et imperium jure et gloriosum in sæcula sæculorum. ♫. Chorus: Amen.

Alia oratio.

Te, Domine Jesu Christe, te Deum pluraliter homines salvantem, et hominem in Deo singulariter potentem invocamus, laudamus, rogamus ut adis; parcas, miserearis, ignoscas, des in corde, votaque compleas; des in ore, verbaque exaudias; des in opere, factaque benedicas. Non petimus removeri a nobis, sicut in hac die olim acta est, corporalis natiuitas tua; sed petimus incorporari nobis invisibilem divinitatem tuam, ut quod præstitum est carnaliter, 455 sed singulariter tunc Mariæ, nunc spiritualiter præstetur Ecclesiæ: ut te fides indubitata concipiat, te mens de corruptione liberata parturiat, te semper anima virtute Altissimi umbrata continet. Ne discedas a nobis, sed procedas ex nobis. Sis re vera Emmanuel noster nobiscum Deus. Digneris manere in nobis, et pugnare pro nobis; te enim pugnante, nos vincimus. Solve nos, quæsumus, a pannis putribus peccatorum, qui te pro peccatis nostris dignatus et putredine ligari pannorum. Lac tuum Ecclesiæ tuæ parvulos nutriat, adeo infirmos delicatus oleum tuis bibus pascat, ut ad percipiendum fortiorem ac solidum cibum validiores quotidie vires crescant. Et ita reverimus defecatum voluntatem et fidem exhibere firmisissimam, ut jugiter cantamur auxilio tuo ad vitam pervenire perpetuam. ♫. Amen.

Post nomina.

Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremenda majestati tuæ spiritalis victimas immolantes, offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uteris impolluta virginitate produxit, quæ edidit, sanctificatio genuit, integritas fudit, hostiaque immolata vivit, et vivens jugiter immolatur; hostia quæ sola Deo placere prævalet, quia Dominus est. Hanc tibi, summe Pater, offerimus pro sancta Ecclesia tua, pro satisfactione sæculi delinquentis, pro emundatione animarum nostrarum, pro sanitate omnium infirmorum, ac requie vel indulgentia fidelium

defunctorum, ut mutata sorte tristium mansionum, felici perfruantur societate justorum. *A. Chorus: Amen.*

*Ad pacem oratio.*

Excelsum te Deum pariter atque humilem hominem Christum Jesum acclives servuli supplices deprecamur, ut pacem quam ascensurus ad caelos tuis caris notitia commendasti, dones, augmentes, perficias atque custodias. Atque ita fiat pax tua in virtute, et abundantia in turribus tuis, ne officii oscula sint tegmina virus occulti; sed qui decantantibus angelis pacem tribuisti hominibus bonae voluntatis, in hoc die Natalis efficias nos nuntios ac filios pacis. *A. Amen.*

*Inlatio.*

Dignum et iustum est nos omnipotentiae et pietatis tuae referre quas posse donaveris laudes, elementissime Pater; quia post multa tempora in hac die ante non multa tempora, qui tibi vel sibi semper erat, nobis natus est Christus Jesus unigenitus tuus: factus **436** est ancillae suae filius, Dominus matris suae; partus Mariae, fructus Ecclesiae, qui ab illa editur, ab ista suscipitur; qui per illam passus egreditur, per istam mirificus dilatatur. Ille salutem populis creavit, haec populos; illa vero vitam portavit, haec lavacro; in illius membris Christus infusus est, in istos aquis Christus indutus est. Per illam, qui erat, nascitur; per istam qui perierat invenitur. In illa Redemptor gentium vivificatur; in ista gentes vivificantur. Per illam venit ut peccata tolleret; per istam tollit peccata propter quae venit. Per illam nos ploravit; per istam nos curavit. In illa infans, in ista gigans. Ibi exulat, hic triumphat. Per illam crepundia gestavit, per istam regna subiecit. Illam parvuli foecunditate demulsit, istam sponsi credulitate despondit. Extant benique pretiosi amoris incorrupta commercia. Dedit sponsus sponsae suae munera, aquas vivas, sed est Christus Ecclesiae, et quibus semel ad placendi meritum lavaretur. Dedit oleum laetitiae, quo odorifero linguento chrismatismungeretur. Vocavit eam ad mentem suam, adipe frumenti satulavit illam, vino suavitatis implevit, iustitiae imposuit ornamentum; donavit deauratum virtutum varietate vestitum; animam suam pro illa posuit; susceptae et calcatae mortis spolia in dorem ille regnator victor exhibuit; sed ipsum ille in cibo ac potu indumentoque concessit. Promisit ei se illi daturum regnum aeternum; ipsam pollicitus est statuendam in dexterae suae parte Reginam; concessit et ipsi quod concessum est Genitrici, impleti, non violari; parere, non corrumpi; sibi semel, sed semper, sedere tamquam sponsam in thalamo pechritudinis, et multiplicare filios gremio pietatis. Ferosam esse prolem; non fetidam voluntatem. Sic et ipsa in ipso per ipsam dives effecta, sponso ac Domino suo humilia refert munera; hoc enim de proprio suo offerendo quod credidit, hoc de exempto quod eam redamavit; hoc de dono ipsius id ipsam et potuisse quod voluit, sed ipsam voluisse quod potuit.

(a) Vide pag. 99 et seqq.

Dedit illi tamquam rosas martyres, velut lilia virgines, quasi violas continentes. Haec ad illam per ministros voluntatis eius apostolos conferta operis sui impensa transmisit. Unde nunc a dextris eius felici et gloriosa perennitate consistens, eum tecum, omnipotens Pater, et cum sancto Spiritu regnantem cum omnibus angelis consultantdo conlaudat et dicit. *A. Chorus, Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

*Dicat presbyter post Sanctus:*

Vere sanctus, Vere benedictus Dominus noster Jesus Christus **437** filius tuus, qui venit ex caelis ut conversaretur in terris: caro factus est, ut habitaret in nobis Christus Dominus ac redemptor aeternus.

*Dicat presbyter post Pride:*

Haec Domine dona tua et praecipua servantes, in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus, rogantes profosissimam tuae misericordiae pietatem, ut in eodem spiritu, quo te in carne virginitas incorrupta concepit, has hostias Trinitas indivisa sanctificet; ut cum a nobis fuerit non minori trepidatione quam veneratione percepta, quicquid contra animam male vivit intreat; quicquid interierat nullatenus reviviscat. *A. Amen.*

*Dicat presbyter ad orationem Donnicam:*

Quod Vita ut sequeremur ostendit, quod Vita ut loqueremur edocuit, quod Veritas ut teneremus instituit, tibi, summe Pater, cum tremore cordis proclamemus e terris. Pater noster.

*Dicat presbyter benedictionem:*

Dominus Jesus Christus qui olim pro nobis hodie dignatus est nasci, ipse vos sua nativitate vivificet. *A. Amen.* Et qui infantiam sumens humanitatis, villibus indutus est pannis, caelestium virtutum vos vestiat indumentis. *A. Chor. Amen.* Sitque vestrorum cordium interior pastus, qui in praesepio positus credentibus se voluit monstrari vescendus. *A. Chorus: Amen.* Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus, et vivit, et omnia regit in saecula saeculorum. *A. Amen.*

*Dicat presbyter: Dominus sit semper vobiscum.*

*Hic dicat chorus: Gustate et videte.*

*Post communionem oratio.*

Gratias tibi agimus, Domine Deus, et te Deum benedicimus de die in diem, qui nos in hac die sanctae solemnitatis tuae perducere dignatus es. Fac nos diem istum nativitatis tuae per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere cum fidei populo tuo. *A. Chorus: Amen. y.* Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus et vivis et omnia regis in saecula saeculorum. *A. Amen. y.* Dominus sit semper vobiscum. *A.* Et cum. *y.* Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi: votum nostrum sit acceptum cum pace. *A. Deo gratias.*

**III. INCIPIE EPISTULA SANCTI AGUSTINI AD SANCTUM DEI BIBIANUM SANCIONICE CIVITATIS ANTESTITEM.**

*Ex ms. Codice sancti Petri Carnuensis (a).*

**438** Domino vere sancto, palinae triumphatione

decorato, et pontificali officio coronato, Bibiano ortodoxo, Agustinus Dei servorum servus, in Domino salutem. Litteras apostolatus vestri, carissimo filio nostro Trojano vestro diacono deferente, ad nos pervenisse comperite; et dum sospitas vestra nobis fuisset certificata per paginam, immensa reddidimus Deo laudis præconia. Et quamvis simus absentes corpore, præsentés tamen florifera caritate, exhiberati sumus valde pro sanctitatis rumore, et excellentè culmine sacerdotii vestri, qui longe radiat in orbe, non solum Occidentis et Galliæ, verum etiam Orientis et Affricæ, meritorum lumine percurrente. Oramus autem Deum, ut bonum opus in vobis qui cœpit, ipse cœpta perficiat; simulque vobis suppliciter petimus, ut precibus vestris adjuti mereamur de laqueis hujus sæculi liberari. De eo autem quod nobis dignati fuistis injungere, ut ordinem Hypponæ Regiensis ecclesiæ, qualiter divina officia per Testamenti et Novi et Veteris paginam manualemente persolvit harmoniam, vobis dirigere deberemus; ideo ad præsens non potuimus, quia in libro Exameron nostros notarios occupatos habebamus. Sed cum illud opus fuerit, favente Domino, consummatum, mox obediētes vestro imperio per famulum vestrum, filium in Christo nostrum, Eugepium presbyterum, vobis libellum dirigemus: in quo totius anni officium in lectionibus Divinis perflorando perstrinximus, incipientes ordinem Adventus Dominici ab octavo Calendas octubris æquinoctium autumnale, pro eo quod eadem die Johannes præcursor Domini a majoribus nostris traditur et Angelo nuntiante conceptus, et Herodis funesti gladio trucidatus. Est et præter Nativitatem alia sollemnitas Johannis Baptistæ, quarto scilicet Calendas Septembris, quando inventum legitur caput dominici præcursoris. Quod ut opinor decrevit ideo dispensatio Deitatis, ut quia in unda baptismatis, ministerium dumtaxat, quod ante faciem Christi prædicavit Johannes, sacramentum mersionibus trinis; ideo trifariis sollemniter reddat Ecclesia ejus laudes. Et quia de illo scriptum **459** est vocibus prophetis et testimoniis Salvatoris: *Ecce ego mitto angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam*; ideo et ab ejus conceptu vel obitu Adventus Christi inchoamus officium. Dignum est namque, ut ab eadem die usque ad Nativitatem Christi prophetarum organa tympanizando resultet Ecclesia.

Sed quia sunt nonnulli qui Adventum Domini a festivitate beati Martini Turonensis urbis episcopi videntur insipienter excolere, nos eos non reprehendimus, quia non omnes omnia possunt, et maxime cum Apostolus dicat: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*. Sed longe aliter est plenitudo ordinis et religionis nostræ. Martinus etenim sanctus longe post ascensionem Domini, vel post nativitatem prodiiit, vel post mortem discessit, quippe qui nostris temporibus prope fuit, quamvis in brevi tempore fama sanctitatis et virtutis illius totum mundum re-

(a) Vide pag. 415.

pleverit. Apud nos itaque ex ejus sollempnitate abstinentia a carnibus vel conjugali copula filiis Ecclesiæ indicatur, ut ad Nativitatem Domini securius communicent. Rectius autem hoc opus in sancti Johannis conceptione instituitur: quia ipse præcessit ante Dominum, et per præconium angeli, et per significationis contactum, dum Dominus de Virgine, servus vero nasceretur ex vetula et sterile matre; et ipse clausus utero, exultans in gaudio, clausum Christum Virginis alvo mystico salutavit præscio. Sed et quando Johannes sensit imminere diem obitus sui, ideo misit ad Dominum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* quasi diceret illi: Indica mihi utrum per te ad inferni claustra descendas, an ad liberandum genus humanum alium mittas: quia sicut te in terris positus docendo et baptizando præcurrens digito oriendum demonstravi, ita volo populo in tenebris resedenti, et te quotidie postulanti adventum tuum jussus a te, Domine, nuntiare? Et certis his de causis in celebritate Adventus Dominici, sollempnitas anteponitur Johannis Baptistæ. Sed et vide ordinem temporum in idipsum congrue concordantem. In æquinoctium autumnum, quando crescut tenebræ, tunc traditur Johannes fuisse conceptus; et sub rotatu ejusdem temporis passus. In æquinoctium quando lux extenditur, et tenebræ minuuntur, tunc traditur Christus et conceptus utero Virginis; et sub eodem curriculo adfixus patibulo crucis. In solstitio, in quo dies incipit minui, et nox augeri, Johannes creditur natus, ut famulus: in illo vero solstitio, ex quo dies augetur, et tenebræ minuuntur, natus est **460** ex virgine Maria Salvator. Pro hoc quatripartito rotantis anni curriculo etiam libri hujus finem terminando distinximus; ut quia quatuor tempora anni isto videntur ordine terminari, ita etiam quatuor voluminis hujus libri distinctum reddent officium per circulum anni, instar sacri Evangelii, juxta quod rota inferius præsignata videtur attendere. Deprecor autem te, et omnes ad quos formula ista legendi pervenerit, ut omnipotenti Domino pro me exorare dignemini, quatenus pro hujus operis labore aliquantulam apud ipsum capere merear gratiæ portionem. Data Calendas Junias, Hippone Regio, Arcadio et honorio Augustis.

*Feliciter explicit epistula sancti Agustini episcopi.*

#### IV. SERMO IN VIGILIA EPIPHANIE.

*Ex veteri Lectionario Gallicano (a).*

Audivit nobiscum caritas vestra, Evangelista dicente: *Cum natus esset, inquit, Deus in Bethlem Judæ in diebus Herodis regis: ecce magi venerunt ab Oriente Hierusolyma dicentes: Ubi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Felix illa civitas, fratres, cui civis natus est Deus! quæ singulare meritum ante adventum Salvatoris accipiens, prima laudari meruit per prophetam, quam disceret quem sumebat. Felix tu, civitas Bethlem! quia non es minima inter*

principes Juda. Ex te enim prodiet Rex qui reget A populum meum Israhel. Quid agit Juda, eorum cæcitas mentium, qui adventum Salvatoris nec intelligere meruerunt, nec nosse? Impletum est cunctis prophetæ responsum: Salvatorem nostrum prodidit cælum. Quando enim latere poterat, quem Deus ante prædixerat? Bethleem civitas accepit de astriferis partibus civem, et per novum incolam grande meritum transit, quia non potest finiri quod meruit. Sed postea quam partus ille cælesti signo monstrante repertus est visusque, magos veneranda turbavit infantia. Nihil ibi omnino contemptibile in illis vagitibus fuit, quia humanos Deus sensus aspexit; sed postquam probatam ipsius sideris fidem, fallentes magi regale præceptum, exteras tenuere regiones; Herodis regis vitantes aspectum, voluerunt monstrare B plenius 461 quod timebant. Majorem rex stimulum sentit, cui non ostenditur quod veretur. Sed cum sollicitus rex, transacto tempore veniendi, fallentes magos deviasse cognosceret, adque ejus animum incognitus infantis aspectus diversis motibus dissiparet; hoc prodidit crudeli arte consilii, ut ad inveniendam successoris infantiam, occidendo quæreret quod latebat, sicut scriptum est: *Cum videret Herodes, quod delusus esset a magis, iratus vehementer, misit ut occiderentur omnes infantes in Bethleem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra.* Felix erat ludus parvulis, moriendi conditio, qui pro Christo meruerunt pati. Furentis regis vesana sævitia morientibus profuit: qui, dum successorem suum diligenti crudelitate perquirat, dignos iratus martyres fecit. Nam Herodes, quem tantum ravidus sensus furoris facibus eregebat, quantum amor dulcis potestatis accendebat, carnifices suos ad inquirendum misit infantes, quasi qui Deum posset invenire cum vellet. Pergunt in civitatem ministri regis, crudele portantes imperium, et durum præceptum ferentes, in gladiis ad matrum lacrymas festinabant. Infantile bellum in domibus gerebatur; et secum sola pugnante sævitia, orbitatis crudelitas eminebat. Mactabantur in cunis infantes, in quibus nondum erat nascendi conscientia: et illud membrorum initium primum funus discit esse quam corpus. Occidebantur initia membrorum, minutissimi lactantes, et accepti a matribus parvuli in duritia lapidum vibrabantur, ut ad execrandum malum D saxorum aspera moles artus spargeret. Et necatos excepit nolens terra conlisos, atque iterum ipsa mortalibus sepulturam præbuit, qui pridem natos feste suscepit. Sub conspectu matrum premebantur vagitus infantum, et lacrymas suas in maternos oculos reportabant. Salvator noster inter infantium funera quærebatur: qui ad hoc permisit pro se infantes occidi, ut pro ipso ceteri discerent mori. Natabant domus sanguine parvulorum; nec fuit qui consolari alterum posset, quia non erat qui lacrymas non haberet. Invicta orbitas cunctos æquaverat, et commune malum ubique luctibus gerebatur. Oppressi

(a) Vide pag. 484.

vagitus majores gemitus exigebant. Nulla domus, nullus orbitati restaverat locus, ubi non diligens crudelitas fuit. Jacobant brevia vulnera membrorum, et velato vultu tristi colorata pallore cunctorum mentibus lacrymas dabant. Minutis mortibus tota civitas replebatur, et omnium posteritate truncata, hoc solum evasit, quod vagitus habere non meruit. In illa matres filiorum perniciem 462 intentæ grandine liberorum, una femina felix evasit, quæ fuit virgo post partum. Quid profuit replese tot funeribus terram? quid profuit tanta ubera fluentibus siccasse, cum futurum malum Deus ante prædixit? Constat ergo Judaicam gentem nascenti Domino præparare perniciem; adeoque eodem tempore Deus Christus voluit docere, quia Judæus non noverat quod fieret. Sed quia Dominus Christus passioni prohibitus vel dilatus est, maluit virtutibus disci, quam ante tempus occidi.

#### V. TESTAMENTUM ILLUSTRIS MATRONE ERMENTRUDIS:

*Ex autographo Dionysiano in charta Ægyptiaca (a).*

..... sacratissimus fiscus percipiat. Si vero omnia quod in hunc testamentum inserui..... custodieris, quidquid tibi superius delegavi, in tuo jure perennii tempore permaneant..... in hunc testamentum, cuicumque non depotavi, tibi, dulcissime fili, habere cupio. Similiter..... demandatione bonæ memoriæ Deorovaldi dono tibi canna argentea valente plus minus solidos xxv. Et a parte mea dono tibi cauco argenteo valente sol. xxx, et medietatem ovium, quas Vigilius adtendit, cum pastore nomine Gaugulfo. C Simili modo de Latiniaco et Balbiniaco, tam vestis, quam æramen vel utinsilia, et de bovebus ex omnia medietatem, tibi, dulcissime fili, habere præcipio. Pari conditione ex demandatione bonæ memoriæ Deorovaldi dono tibi, dulcissime fili, de portione ejus et de proprietate mea mancipia his nominebus, Unnegiselo, Aunemundo, et filias Patricio, id est Fedane, et Ausegunde, et Aguechilde et Baccione cum gregim porcorum; vineæ pedaturas duas, sitas in monte Maurilioni, quas Theodaharius et Garimundus colunt. Vineæ pedatura tertia, sita in monte Metobaure, cum vinitore Guntrachario... Vineæ pedatura quarta, sita Taurimaco, quem Innerdus colit cum vinitore Munegisilo. Vineæ pedatura quinta, sita in monte Vultoricino, quem Sevilla colit, cum vinitore. Hæc omnia supra scribita tibi, dulcissime fili, ex mea voluntate vel ex demandatione divæ memoriæ Deorovaldi habere constitui. Vineæ sita in monte 463 Me..... quem Habundancius colit, medietatem sanctæ ecclesiæ... eliense dare præcipio: aliam medietatem de ipsa vinea dulcissimo nepoti meo Bertigisilo habere jubeo. Vineæ, quam Agila femina tenuit; et vineam, quam Innacharius colit, dulcissimæ nepti meæ Deorovaræ cum ipso Innachario habere præcipio. Vineaplantas, qui sunt secus vineam Sevilam, dulcissimo nepoti meo Berterico habere præcipio. Vineæ quem Vincmalus in monte Vultoricino colit, et puella, nomine Sunnechilde, et

ancilla nomine Iverizæ, cum filio Leudino dulcissimæ noræ meæ Bertovaræ habere jubeo. Item dulcissimo nepoti meo Bertegisilo ichriarlo argenteo, et mancipia his nominebus, Sunniulfo, et sorore ejus Gibethrude, et filias Anthimio, et filio The..... næ juniore habere constituo. Nepti meæ Deorovaræ scutella argentea cruciolata, et mancipia his nominebus, Tanecchildem Imnegunthem, Imnegisilum; et lectaria ad lecto uno qui melior fuerit, et puero nomine Gundofredo, et ancilla nomine Theigundem, necnon et puella nomine Audechildem dari constituo. Dulcissimo nepoti meo Berterico, puero nomine Medigisilo habere jubeo.

Baselicis constitutis Parisius, id est baselicæ sancti Petri, urcio argenteo valente soledus duodece, et fibla aurea gemmata ad mento dari constituo. Baselicæ domnæ Mariæ gavata argentea valente sol. duodece, et cruce aurea valente sol. septe, dari jubeo. Baselicæ domni Stefani anolo aureo nigellato valente sol. quatuor, dari volo. Baselicæ domni Gervasi anolo aureo, nomen meum in se habentem scriptum, dari præcipio. Baselicæ sancti Sinsuriani (Sic), in qua bonæ recordationis filius meus Deorovaldus requiescit, freno valente sol. duodece, et caballo strato, et carruca in qua sedere consuevi, cum boves; et lectaria cum omni stratura sua, pro devotione mea et requiem Deorovaldi dari præcipio. Alia carruca cum boves vel omni stratura sua, ecclesiæ vicî Bonisiacinsis dari jubeo. Similiter villarem, cui vocabulum est Volonno, cum adjacentia sua, supra scribitur ecclesiæ Bonisiacinsæ, pro remedium animæ meæ habere præcipio. Sacrosanctæ ecclesiæ civitatis Parisiorum missorio argenteo, valente sol. quinquaginta, dari præcipio. Baselicæ sanctæ Crucis vel Domni Vincenti coeliaria argentea dece dari jubeo. Lectaria par uno, et vestimenti mei pareclo uno fratribus ad minsa baselicæ sancti Dionisi dari præcipio. Alia pareclo vestimenti ad vico Bonisiaca fratribus dari **464** constituo. Tertio pareclo vestimenti Emilia ad vico dari jubeo. Item pro remedium anemæ meæ, vel ex demandacione bonæ recordacionis filii mei Deorovaldi villam, cui vocabulum est, Latiniaco, sita in territorio Meldinse, cum campis, colonecis ad eadem pertinentes, cum pratis pascuis, silvis, vel omni jure et termino suo, quia in portione supra memorati filii mei Deorovaldi obvenit, cum omni integritate baselicæ sancti Sinsuriani, ubi sepultura habere dinuscitur, pro requiem ejus dari præcipio. Similiter porcario, nomine Gundilane, cum gregim porcorum, et Baudomere cum gregim ovium, et troppo jumentorum, qui sunt ad supra scripta villa Latiniaco, supradictæ baselicæ sancti Sinsuriani habere jubeo

Goderico et Gunderico in supra scriptam villam, quem baselicæ domni Sinsuriani deligavi, ita jubeo ut laborent, unde ad ipsa basileca oblata cotidie ministraretur. Leudulfo cum vinea, quem Sabucito colit, ad oratorio, qui est in villa Latiniaco, unde ibidem oblata occurrat, dari volo. Baudulfus, Sumtha-

harius similiter cum boves ut laborent jubeo, unde oblata ad baselicæ sancti Sinsuriani pro requiem Deorovaldi offeretur. Simili modo vineæ pedaturæ una, sita Tauriniaco, et quem Pinpo colit, baselicæ Domni.... eorgi (Georgii) Cal... (Cala) dari præcipio. Vineæ pedatura una, sita in monte Buxata, quem Juvius colit, ecclesiæ Bonisiaciensæ dari constituo. Vineæ, quem Uvassio colit, cum ipso Uvassione. . . . . quem . . . . . colere debeat, baselicæ domni Sinsuriani . . . . . oblata . . . . . dari constituo. Vineæ pedatura una, sita in monte Blixata, quem Leudefredo colit, baselicæ sancti . . . . . arini (Leq. Martini) ei perente dari jubeo . . . . . libertorum meorum nomina in . . . . . testamenti abiu. . . . . cti constituo Medibergane, Honorio, Gundileubane, Plane, Sumthulfo Ciuccirape, Hichicione, Maxa uxore Chioberga, Sinderedo, Angilone, Leudefredo cum uxore Vuandilone, Chaidruna, Childeruna, Thrasteberga, Theodachario, Vigilio cum uxore Sunnine, Agione cum filio suo Garlullo, Vincimalo cum uxore Maurella, Mellita cum filio suo juniore, Coccione cum filio suo Daigisilo, Mudilane cum filiis suis Munegisilo et Monechrude, Acchione, Bonane, Leubosaintho, Gibulfo filio Vigilio. Dommoruna, Childerimane, Basone, Childegiselo, Childegunthe. Chrodulfo. . . **465** Sindedbergane, Monechilde, Æterno, Bauderuna; hos omnes cum omni peculiare eorum, tam areolas, hospitio, abortellus, vel vineolas, et cum id quod in quibuslibet rebus habere videntur, liberos liberasque esse præcipio; et quidquid exinde facere voluerint. habeant liberam potestatem

Similiter Mumolane cum omni peculiare suo ingenuum esse præcipio; luminaria tantum in ecclesiæ Bonisiaca ministrare stodeat. Vualacharium cum omni peculiare suo, et cum boves quos bajolat, ingenuum ea condicione esse jubeo, ut ligna tantum ad oblata faciendum ministrare procuret. Gundefredo cum boves duos laborare præcipio, unde cera ad baselicæ domni Sinsuriani comparatur. Martiniana, Theoderuna cum filio suo seniore, cum peculiare eorum, sicut supra scribitur benemereti, ingenuos esse jubeo. Simili modo pro remedium animæ meæ, et ex demandacione filii mei Deorovaldi, Gygone, Septredo cum uxore Goderuna, Theodonavia, Baubalvia, Carane, Patricio cum uxore Eusebia, Dagario cum uxore Aurovela, Ciuncileno, Blidemandu cum filia Blidechilde, Manileubo, Trasilane, Eumunda, Imneredo cum uxore Torigia, Chadallo, Aridia, Rocculane, Bahiccono, Gunthivera; hos omnes cum omni peculiare, tam areolas, quam hospitio, vineolas vel hortellus, cum id quod presentis tempore habere videntur, ingenuus esse constituo, Baudullo et Sumthahario, cum boves quos bajolant, laborare præcipio, unde oblata ab baselicæ Domni Sinsuriani jugiter ministraretur. Ita do, ita ligo, ita testor, ita vos mihi Quiritis testimonium perhibetote; ceteri, ceteraque proximi, proximæque, exheredis mihi es-

tote : proculque habetote si quæ lituræ vel caraxaturæ in hoc testamento meo sunt, ego feci fierique præcipi, dum mihi sæpius volui recenseri. Addi etiam constitul, si quis contra hunc testamentum venire voluerit, aut voluntatem meam in aliquo corrumpere temptaverit, a communione omnium sanctorum et a limenibus ecclesiarum efficeatur extraneus, et insuper ante tribunal Christi anathimatus permaneat. Actum Parisius sub die et tempore supra scripto. Signum † Erminethrudicæ testatricis. † Mummolus com., rogans et præsentis Ermenthrude, hunc testamentum subs. Scupilio spatarius, rogante Erminethrudicæ, huic testamentum subs. no. die et anno quibus supra. Munegiselus, rogante et præsentis Erminethrude, hunc testamentum test. . . . . no. die et 466 anno quibus supra. Baudacharius defensor subs. Eusebius rogatus ab Erminethrude hunc testamentum scripsi, relegi et subs.

*Ex testamento sancti Remigii Rhemorum episcopi.*

Vas argenteum decem et octo librarum inter te, heres mea (*Ecclesia Rhemensis*) et diocesim tuam ecclesiam Laudunensem, factis (*id est faciendis*) patenis atque calicibus ad ministerium sacrosanctum, prout valui, Deo annuente distribui. Aliud vas argenteum, quod mihi Dominus illustris Chludovicus (quem de sacro baptismatis fonte suscepi) donare dignatus est, tibi heredi meæ ecclesiæ supra memoratæ jubeo turriculum et imaginatum calicem (*a*) fabricari. . . Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus festis et omnibus Dominicis, sacris altaribus mea offeratur oblatio (*b*). . . Vineam do, quam posui Vindonissæ, sub ea conditione, ut a patribus suis, omnibus diebus festis ac Dominicis, pro commemoratione mea sacris altaribus offeratur oblatio.

#### VI. FRAGMENTA CÆREMONIALIUM.

*De passione non legenda Dominica Palmarum in missis privatis (c).*

Dominica in Palmis. . . . Sacerdotes ad privatas missas unam tantum Collectam dicant; Evangelium: *Cum appropinquasset*; passionem nullus legat, nisi fratres qui in formis cantant. (*Lanfrancus, in Decret. pro ord. sancti Bened., pag. 260.*)

In Ramis Palmarum ad matutinalem missam non nisi una Collecta est dicenda; nec passio legitur, sed illa tantum lectio sancti Evangelii: *Cum appropinquaret Iesus*. Quod etiam cunctis sacerdotibus, qui privatas missas cantaverint, præcipitur, ut sint parati ad duas processiones quæ illo die sunt agenda. (*Udalricus, in lib. 1 Consuetud. Cluniaç., cap. 54.*)

Quando erimus circa finem Tractus, sacrista pulsabit unam parvam campanam pro congregando dominos ad audiendam passionem, quia ipsa non debet legi nisi in magna missa (*Consuetudines sancti Ger-*

(a) Vide pagg. 68 et 95.

(b) Vide pag. 134.

(c) Vide pag. 127.

(d) Vide pag. 386.

(e) Passio hæc apud Ambrosium tribuitur sub hoc initio: *Servus Christi Ambrosius episcopus,*

*mani a Pratis mss., ibid., in Cæna Domini*). Post Primam dicentur septem psalmi, et Letania; postea veniemus sessum 467 in claustrum. Sacerdotes ibunt dictum missas suas, et omnes debent celebrare die illa; et celebrabunt sine igne.

#### VII. PASSIO BEATISSIMORUM MARTYRUM SANCTORUM CANTIANORUM.

*Ex ms. Codice viri clarissimi Ulrici Obrechtii (d).*

Omnia (*e*) quæ a sanctis gesta sunt vel geruntur, si quis voluerit studiose perquirere, et sibi et plurimis ædificationis exhibet fructum. Et sicut arbor fructifera non sine causa probatur terram occupare dum vivit, cum et ipsa suis pomis ornatur, et omnis qui ex eo fructu perceperit, saginatur. Scribimus ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti fuerint, quid passi sint sancti. Ostenditis vos esse catholicos, qui victorias Christi libenter legitis, libenter auditis. Interrogo vos qui ista inter apocryphas litteras exvolanda censetis: per quos constat canon Scripturarum quantum divinarum? numquid per eos qui pro ipsa canone occidi magis optaverant quam vinci? Quid ergo tenuerunt martyres? Fidem rectam, quæ sacris voluminibus certo librarum numero continetur. Agunt illis gratias apices sacratissimi, qui per eorum perseverantiam perseverant. Et ideo volunt eorum gesta conscribi, ut in conspectu Dei et hominum semper laudentur sancti, qui in conspectu incredulorum pro eorum defensione tormenta immania pertulerunt. Nihil præter Scripturas canonicas recipientes, ista studiose conscripsimus, ostendentes dogma catholicum per catholicos martyres custoditum. Exemplum posteris damus, ædificationem credentibus tradimus, artem belli Christi militibus demonstramus. Constat eos nolle pugnare si necesse sit, qui nolunt legere pugnatores. Imperent silentium infidelibus, spectent pugiles diabolicos qui athletas Domini spectare contemnunt. Nos divinas virtutes loquimur, scribimus, prædicamus. Prohibeant æmuli, imperent silentium timidi, verberent contemnentes: legentes increpent, libenter hæc audientes accusent; 468 gloriosos faciant milites vulnera pro imperatoris laude suscepta, pro cujus amore etiam animas ponere libenter optamus. Triumphorum Christi ac victoriarum labores exercitiis de occultis foris proferimus. Scimus pugnans, quæ illi visibiliter passi sint, invisibiliter nobis excitari quotidie, et neglenter pugnantes acrius vulnerari. Ergo ut arma pertractes, attende bellantes; da mentem studiis, ut hostis incipiat te timere.

2. Beatissimos martyres Cantium, Cantianum, et Cantianellum, a pedagogo suo Proto valde fide catholica fuisse edoctos. . . qui de genere Aniciorum, hoc est divæ memoriæ Carini imperatoris, nascuntur progeniti, et intra urbem Romanam, in quarta decima

*Christum Deum verum colentibus fratribus per omnem Italiam, in Domino omnem salutem. Omnia quæ a Sanctis, usque ad sequentem versum, Scribimus ut in gestis invenimus, etc., quibus omissis, resumitur lectio a sequenti numero quarto.*

regione, nati atque edocti probantur, Dioclitiano A  
 Romæ imperante, et Maximiano partibus Illyrici,  
 Carino quoque intra Gallias bene agente erga Christianos, qui non post multum tempus defunctus est. Post  
 ejus obitum sceleratissimi Dioclitianus et Maximianus  
 per omnes provincias decreta posuerunt, ut ubi Christi-  
 ani invenirentur, si sacrificare contempnerent, di-  
 versis poenis adfligerentur. Cumque his dictis beatissi-  
 mi martyres Cantiani in urbe Roma fuissent positi,  
 consilio habito cum beato Proto, ut iniquam vitarent  
 sententiam, prædia sua suburbano posita sub spe-  
 cie visitationis circuire decreverunt.

3. Qui eodem tempore in urbem Aquilegensis red-  
 pedarunt: in qua tunc temporis non parva rura posi-  
 sidebant. Sed quia lumen in tenebris latere non po-  
 terat, necesse erat ut eos Dominus ad gloriam nomi-  
 nis sui coronaret. Cumque in Aquilegensis urbem  
 sancti fuissent ingressi, duriores sævitiam erga  
 Christianos repererunt, quam reliquerant Romæ. Ita  
 enim omnes sanctorum vel confessorum pro Christi  
 nomine multitudo in vinculis carcerum custodia tene-  
 bantur, ut enumerari non potuissent, agente scilicet  
 Dulcidio præside, una cum Sisinnio comite.

4. Audientes itaque sanctos Dei advenisse, statim  
 inveniri ab apparitoribus præcipiuntur, ut diis thura  
 ponerent. Tunc beatissimi martyres aspicientes in  
 cælum responderunt: Nos dæmoniis non sacrificamus,  
 quia scriptum est: *Omnes dii gentium dæmonia,*  
*Dominus autem cælos fecit.* Et iterum: *Similes illis*  
*fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Itē  
 ergo munitate iniquo præside vestro, nos pro Christi  
 nomine optare mori, quam ab ejus mandatis absce-  
 dere, quia ab ipsis cunabulis Dominum Jesum Christum  
 confitemur. At illi redeuntes præside vei comiti re-  
 tulerunt omnia quæ gesta fuerant.

469 Tunc Dulcidius præses una cum Sisinnio  
 comite valde commoti, talem dederunt impio Diocli-  
 tiano suggestionem: Paucissimi, subvenite Romanis  
 legibus, pro quibus victrix dextera vestra hostium  
 cervices inclinat, et diis omnipotentibus, qui a  
 Christianis contemuntur, juvamina præbete. Ad-  
 venerunt enim tres germani ex urbe Roma, uno  
 animo fortiter reluctantes, et nescio quem Christum  
 confitentes, et contemnentes decreta pietatis vestræ.  
 Unde quid jussione vestra decreveritis, decernite.  
 His auditis sceleratissimus Dioclitianus vehementius  
 est commotus, et hanc dedit auctoritatem, ut si sac-  
 rificare nolissent, capitati sententia plecterentur.  
 Cumque iniqua sententia pervenisset ad beatissimos  
 martyres, ascenso vehiculo una cum pædagogo suo  
 Proto ex urbe Aquilegensis egressi sunt, divinam  
 Scripturam habentes præ oculis, quæ dicit: *Cum*  
*persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Nun-  
 tiatur ergo iniquissimis iudicibus sanctos Dei pro-  
 perasse. Tunc Sisinnius comis una cum spiculatoribus  
 ex præcepto impiissimi Dioclitiani imperatoris  
 subsequitur.

Beatissimi vero martyres ascenso (a) vehiculo jun-  
 ctis mulabus, cum secedere voluissent, et non longe  
 ab urbis mœnibus iter agerent, et unum animal de  
 subjunctis subito corrisset in loco qui appellatur Ad  
 Aquas Gradatas, ita illinc sunt a persecutoribus com-  
 prehensi. Quod factum quam gloriosum sit et a di-  
 vinitate dispositum, debemus advertere. Semper  
 enim Deus quos elegit, quasi victores cum subvectione  
 sublimes in aulam regni cælestis inducit. Nam sicut  
 Helias cum adplicato quadriga ascendit in cælum,  
 ita et isti vehiculo amoto ad martyrium pervenerunt;  
 et quadriga sicut illum evexit ad requiem, ita et hos  
 portavit ad gloriam. Et quamvis illa ignea quadriga  
 fuerit, hæc tamen non inferior habenda est; quia  
 illa unum gestavit prophetam, hæc tres martyres  
 sustentavit. Sed dicit aliquis: Gloriosius gestavit  
 quadriga ignea, quam terrena. Nec hoc plane deest  
 sanctis viris. Nam sicut Meliam ignea quadriga por-  
 tavit, ita et martyres fides ignea jam ferebat. Fere-  
 bat illos, inquam, Christus, qui lumen est, qui ignis  
 est, de quo scriptum est: *Deus noster ignis con-  
 mens est.* Ergo cum beatos de quibus loquimur per-  
 secutor urgueret, vehiculum conscenderunt. Quæ  
 causa? ut fugerent? absit; non ut fugerent, sed ut ad  
 martyrium citius pervenirent; non ut latitarent,  
 470 sed ut se Christianos cunctis transeuntibus  
 manifestarent. Ceterum occultius inter plures in ci-  
 vitate latere poterant; sed hoc egerunt, ut totius po-  
 puli corda, dum per diversa fugiunt, Christi amore  
 flammantur. At vero ubi quis vehiculi adparato dis-  
 posito, per aggerem publicum graditur; illic non  
 fuga dicenda est, sed profectus. Sancti enim viri hoc  
 facti, velut in triumphali curru positi, contestaban-  
 tur dicentes: Ecce, persecutor, ecce proficiscimur,  
 ecce præcedimus. Quid resides? quid moraris? sub-  
 sequere nostra vestigia. Nolumus enim videri in vi-  
 ducl ad poenam, qui præcedere nos profitemur ad  
 gloriam.

Tunc Sisinnius comis hæc audiens, jussit beatos  
 martyres comprehendi; qui judex hortatur eos, ut  
 Jovi thura offerrent. Beatissimi vero famuli Dei ex-  
 secrantes dixerunt se numquam dæmoniis immola-  
 turos, sed omnipotenti Domino qui fecit cælum, ter-  
 ram, mare et omnia quæ in eis sunt. Nam omnia  
 idola, sive qui ea colunt, cum eisdem ibunt in ignem  
 perpetuum. Tunc impius Sisinnius comis, hoc audito,  
 valde iratus est, et præcepit spiculatoribus, ut si  
 Jovi thura non offerrent, capita plecterentur. Beatissi-  
 mi vero martyres Cantiani una cum Proto pæda-  
 gogo suo gaudentes et psallentes ducebantur a spi-  
 culatoribus. Tunc beati famuli Dei expansis manibus  
 ad cælum orationem fuderunt ad Dominum dicentes:  
 Domine Jesu Christe, qui perseverantibus in tuo  
 nomine te patrem et matrem dixisti esse, et pro  
 temporalibus futura, et pro perituris perpetua, et pro  
 divitiis terrenis incorruptam vitam æternam cum  
 felicitate dare promisisti: te obsecramus, Amator

(a) Hæc verba usque ad sequentem sectionem, paucis prætermisissis, leguntur in vulgato sermone apud  
 Ambrosium et apud Augustinum.

puræ conscientiæ, ut respicias de summitate cœlorum ad hanc horam, ut suscipias animas nostras in pace, et inter sanctos Electos tuos collocari præcipias, ut cognoscant omnes quia tu es Deus solus et benedictus in sæcula. Et cum complerent orationem, ponentes genua susceperunt gladium, et acceperunt coronas sempiternas: et ecce sanguis eorum tamquam lac omnibus videntibus apparuit.

Quo tempore venerabilis vir Zoelus presbyter col-

ligens beatissimorum martyrum corpora, condidit ea aromatibus pretiosis, et in loculo collocavit. Qui et ipse sanctus Zoelus post aliquantum tempus susceptionis suæ hoc ordine perrexit ad Dominum. Passi sunt autem beatissimi martyres Cantius, Cantianus et Cantianella, pridie Kal. Junias, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria, honor et potestas in sæcula sæculorum, amen.

## APPENDIX ALTERA.

### *In quo variantes scripturæ sacræ lectiones præcipuæ ex Lectionario Gallicano exhibentur.*

**471** Quoniam magnopere interest scire antiquam Scripturæ sacræ versionem, qua primis temporibus usa est Gallicana ecclesia, ideo hic sub uno conspectu variantes Lectionarii antiquissimi lectiones insigniores referre visum est operæ pretium, ut ex his viri docti suam de illa versione sententiam statuere possint.

Et primo quidem generatim observandum antiquam illam versionem Vulgatæ nostræ passim inhærere, et plerasque lectiones variantes potius ex librorum genio vel errore, quam ex versionis ipsius discrepantia repetendas. Deinde ubi versio antiqua differt a nostra Vulgata, eam sæpius, non tamen perpetuo, cum versione Græca convenire. Tertio Scripturæ libros, ex quibus lectiones in Lectionarium nostrum acceptæ sunt, hos omnino esse, nempe Genesim, Exodum, Josue, Tobiam, Judith, Esther, omnes prophetas, majores ac minores, ex Veteri Testamento; ex Novo autem, quatuor Evangelia, Actus apostolorum, omnes Pauli Epistolas, præter unam ad Philippenses, omnes Catholicas, et Apocalypsin. Singulos ex ordine percurramus.

#### IN VETERI TESTAMENTO.

GENES. VII, 16, ubi legitur in Vulgata, *inclusit eum Dominus desoris*, addit Lectionarium *desoris in arcam*, quod melius Græco textui respondet, *καὶ ἔκλεισε τὴν κιβωτὸν ἔξωθεν αὐτοῦ*.

JOSUE IV, 19, *decimo die mensis primi*, Lectionarium habet *decimo mense, prima die mensis*. LXX Vulgatæ favent.

ISAÏE XXVI, 6, *pes, pedes pauperis*. Lection., absque geminatione, *pes pauperis*. LXX, *πόδες*, semel. Ibid., vers. 18, *et peperimus spiritum: salutes non fecimus, in terra*. Lection. vero, sine disjunctione, *spiritum salutis non fecimus in terra*. LXX, *πνεῦμα σωτηρίας σου ἔποιήσαμεν*. Complut., *ὁ ἔποίησας*.—Cap. LII, 14, *sic inglorius erit*. Lection., *sic gloriosior erit*. LXX, cum Vulgata, *ἀδοξήσει*.

**472** JEREM. XII, 7, *in manu inimicorum ejus*. LXX, *ἐν τῆς*. Lection., *inimicorum meorum*.—Thren. III, 13,

*filias pharetræ*, Græce, *ιοῦς*. Lection., *phialas pharetræ*, forte mendose.

EZECH. XLIII, 20, *et super coronam in circuitu*, Græce, *βασι*. Lection., *et super cornua in circuitu*.—Cap. XLIV, 3, 4, *egredietur. Et adduxit me, cum LXX. Lection., egredietur. Sic sicut est clausa, Rex transivit per eam. Et adduxit me*.

DANIEL III, 1, *Nabuchodonosor rex fecit*. Lection., cum LXX, *anno octavo decimo Nabuchodonosor rex fecit*. Ibid., vers. 6, 15, 20, *forname ignis ardentis*, Lection., cum LXX, *ubique habet ardentem*. Ibid., vers. 94, *Sarabyla*. Lection., cum LXX, *sarabara*. Ibid., vers. 96, *positum est hoc decretum*. Lection., cum LXX, *propositum est decretum*. Ibid., vers. 97, 98, *in provincia Babylonis. Nabuchodonosor*. Lection., *in provinciam Babylonis, et scripsit epistulam sic continentem. Nabuchodonosor, quæ verba etiam desunt apud LXX*.—Cap. IX, 14, *et vigilavit Dominus super malitiam*. Deest *super malitiam* in Lectionario. Ibid., vers. 25, *scito ergo et animadvertite*. Lection. *Scito ergo, et planta aurem, et animadvertite*.

OSÉE IV, 17, *dimitte eum*. Lection., *dimittet eum*.—Cap. VI, 6, *et non sacrificium*, cum LXX. Lection. vero, *et non iudicium*.

JOEL I, 13, *libatio*. Lection., *oblatio*.—Cap. II, 23, *serotinum sicut in principio*. Vox *sicut* deest non semel in Lectionario. Ibid., vers. 28, *spiritum meum*. Lection., *de spiritu meo*, cum LXX. Et sic legit Lucas Act. II, 47.

AMOS, VIII, 5, *quando transibit mensis*, cum LXX. Lection., *messis*, forte mendose.

MALACH. III, 3, *colabit eos*. Lection., cum LXX, *conflabit eos*, rectius. Ibid., vers. 8, *confiximus te*, cum LXX, *pro confiximus te*, quod est in Vulgata. Ibid., vers. 17, *erant mihi*. Lection., *erunt mihi oves meæ*.—Cap. IV, 1, *stipula*. Lection., *sicut stipula*. Deest tamen hæc particula apud LXX, licet subintelligatur.

#### IN NOVO TESTAMENTO.

MATTH. VI, 11, *supersubstantialem*. Lection., *Coſi-*